

Alte Drucke

**COMMENTARIVS || IN EPISTO-||LAM DIVI PAVLI || APOSTOLI
AD || Ephesios,|| Scriptus ab || EGIDIO HVNNIO, S.
THEO-||logię Doctore & Professore in ...**

Hunnius, Aegidius

Frankfurt/Main, 1587/(1588)

VD16 ZV 27865

CAPVT II. ARGVMENTVM.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148399

AD EPHESIOS
CAPVT II.

ARGVMENTVM.

Beneficium Dei in Christo exhibitum & primo capite illustratum pergit exaggerare Paulus: pristinū statum Ephesiorum longē miſerrimum cum magnitudine subſecutæ beatitudinis κατ' ἀντίθεσιν contendens, atq; simul commonſtrans amplitudinem beneficij diuinitus præſtiti, proferentis ſe nō ad ſolum populum Hebræum, ſed ad gentiles etiam, quos diruto intermedio pariete ad communionem ſanctorum vocatos, & domesticos Dei & Eccleſiæ ipſius factos refert.

Partes capitis ſunt quatuor: Prima recenſet, quo pacto Ephesij extremæ ſeruituti peccati & tyrannidi Satanæ fuerint obnoxij. Secunda beneficium commendat gratuitæ liberationis ex hac miſeria. Tertia parte quodam ad explanationem priſtinæ conditionis gentilium reſpectu exponit, quomodo à Dei populo fuerint olim alieni. Quarta deniq; redit ad Chriſti bonitatem illuſtrandam, qui ſublato diſſidio gentiles cum Iudæis, velut exteros cum domeſticis in gratiam & communionem reduxerit.

PRIMA PARS.

Et vos cū eſſetis mortui peccatis, &c.] *Ma-niſeſta eſt coherētia huius capitis cum priori. De eodem quippe*

quippe beneficio tractat, etsi argumenta tractationis sint diuersa. Etenim sicut primo capite beneficiū Euangelij celebrauit à sublimitate mysteriorum: sic nunc noua quadam ratione per antiuhsin antegresse summa miseria id extollit. Constructio videtur imperfecta & cūda. Et ῥοδοτος: idcirco ex mente Apostoli supplendum quod deest. Vult autem dicere, sicut Pater suscitauit Christum, & collocauit ad dextram suam: sic & vos in Christo uiuificat, cūm quidem prius essetis mortui delictis & peccatis. Vbi mortem non intelligit temporalem illam, quæ dissolutione corporis & animæ desinitur (hac enim ihs quoq; communis est, qui per fidem in Christo uiuificantur) sed mortem longè tristiorē, separationem a Deo, quæ est uita æterna, cuius priuatio introducit mortem animæ spirituales, quæ uiuentes naturaliter moriuntur spiritualiter. Causæ porro tantimali exprimuntur, primò quidem peccatum. Scribit enim: mortui eratis delictis & peccatis. Nequaquam uerò eo sensu, quo pñ scribuntur mortui peccato, ut uiuant iustitiæ, Roman. 6. Inuersa enim hic est ratio, ut quemadmodum renati tum moriuntur peccato, cū ipsi peccatum mortificant: sic homines extra gratiam constituti moriuntur peccato, cū mortificantur à peccato, seu spiritualiter ab eodem occiduntur, ut & Dei benefica fruitione priuentur, & in rebus salutem concernentibus ad omne spirituale bonum reprobis euadant: sicut corporaliter mortui ad omnes actiones naturali uitæ congruas idonei esse desinunt.

In quibus aliquando ambulastis] *Emphatice* scribit Paulus, Ephesios in delictis & peccatis illis, tum originali, tum actualibus, ambulasse. nimirum ambulandi voce metaphorica conuersationem illorum notans, quam totam in peccatis trinerint, existimantes se ambulare in via tuta & bene trita, nescy interim, quod per illius semitam ad exitum decurrerent: idque iuxta seculum mundi huius, hoc est, iuxta communem mundi seu impiorum hominum consuetudinem, in via spatiosissima, qua ducit ad interitum.

Secundum principem, cui potestas est aëris, &c.] Sicut modo luctuosissima mortis spiritalis causam fecit delicta & peccata: sic tanta miserie causam primam nunc designat diabolum, à quo ipsum peccatum, origo & finis reliquorum malorum descendit. Eum verò nominat principem, tum propter potentiam, qua pollet, tum ob dominatum, quem in impios tanquam regni sui subditos exercet. Principem aëris nominat, quia cum infesto suo exercitu plurimarum myriadum aërem opplet undiq; & obsidet, captans undiq; occasiones adoriendi quoquo modo homines.

Qui est Spiritus, &c.] principatum Satanae, cuius meminerat, amplificat à conditione naturæ ipsius, quia sit Spiritus: cui homines, qui caro sunt, robore & potentia adæquari nullo modo possunt. Eandem autem potentiam diaboli ab effectibus & effectuum seu operationum eius subiecto declarat: quando illum non otiosum, sed

sed efficacem esse docet, & quidem in filiis contumacibus, propellendo eos ad peccata, quos ceu captiuos, & in sua obsequia mancipatos tenet. Contumacia porro filios phrasi Hebræa dicit, quod contumacia summo studio sint addicti, Deo nimirum ac voluntati eius dictis factisq; contrarij & refractarij.

Inter quos & nos omnes conuersati sumus olim in cupiditatibus carnis, &c.] Quod de Ephesiis dixerat, fuisse illos quandoq; Satane mancipia: id quia odiosum aliquo modo videri poterat: Diuus Paulus reuocans τοίνου, sive communicationis schemate emollit: id ipsum in suam quoq; Personam conferens, imò in vniuersam gentem suam: docens perspicuè, nihilo meliores esse Iudeos Ethnicis, si communem peruersitatem natura spectes. Inter quos, inquit, & nos conuersabamur. Nos, Hebræi, & quidem nos omnes, nemine quoquam excepto, ne quidem in Dei populo. Sciendum autem est, Apostolum non negare, quod in Dei populo multi sint ac fuerint homines verè p̃y & ex Deo renati, qui in desiderijs illis peccatorum amplius non ambula- bant. Sed animus illi est explicare, quales sint omnes homines per naturam, extra Christū & regenerationem, vbi omnes exaequantur corā Deo: nō disputat hic, quales sint per gratiam post regenerationē & iustificationem.

In concupiscentijs carnis, &c.] ἐξ ἡμῶν est præcedentium. Nam quod prius contumacia vocula generatim fuerat complexus, id nunc specialius explanat: ostendēs, quibus modis Deo & volūtati ipsius rebelles &

aduersus illam contumaces fuerint. Primo, inquit, conuersabamur aliquando in concupiscentijs carnis; peruersa desideria intelligens cum Decalogi preceptis pugnantia, puta pronitatem inordinatam illam ad inobedientiam erga superiores, odium, similitates, iram, superbiam, libidines, crapulam & ebrietatem, auaritiam, & ex hac tanquam radice pullulauit peccata alia, adeoque vniuersa, quæ sancti Dei mandatis aduersantur, Concupiscentias porro carnis nominat, hoc est, vitiosa & deprauata Naturæ inclinationes. Caro enim hic non corpus tantum significat, sed totam naturam hominis, in quantum non est Dei Spiritu renouata. Vult ergo dicere Apostolus: nos olim non tantum naturam prauam eramus ad perficienda carnis desideria, sed conuersabamur in illis, ac velut equus ferocius excusso sessore, toto impetu ad explenda ea ferebamur: Et vt amplius exponit, faciebamus ea, quæ carni & menti adlubefcebant, ita vt concupiscentia illa proruperint in externa facta, ad quæ non Lex Dei scripta, non naturæ lex hominum mentibus impressa vocabat, sed ad quæ inuitabat extrema deprauata naturæ peruersitas. Faciebamus, inquam, quæ libebant tum carni in prauis moribus sectandis, tum menti, in confringendis opinionibus, & procudendis cultibus electiis, quibus frustra Deus colitur.

Et eramus naturam filij iræ] Fontem enumeratorum actualium peccatorum aperit, peccatum originis. Hoc enim excitabat concupiscentias, concupiscentiæ deinde, quia nullis domabantur disciplina vinculis, plena vi erupiebant in externa scelera.

Oritur

Oritur autem hic ex textu Pauli quaestio: ane natura hominis sit ipsum peccatum originis simpliciter, ac sine discrimine, quandoquidem naturâ filij iræ dicimur? Respondeo: Dicimur filij iræ, quia non demum rei iræ diuine reddimur, cum in hanc lucem editi peccare incipimus actualiter, sed quia in peccatis ipsis nascimur, & quadam nascendi necessitate hoc malum nobiscum trahimus, quo ipsa polluitur natura, & rea redditur iræ Dei & damnationis, non quidem per se, sed quia peccato sic rota occupata, vitata & corrupta est, ut quicquid ab ea provenit sit coram Deo pollutum & damnatum. Per se autem est Dei creatura, qui naturam nostram etiam post lapsum pro suo agnoscit opere, lob. 10. cum quidem peccatum pro suo opere nunquam agnoscat, quod non Dei, sed tantum Satanae opus esse liquet.

Filij iræ vulgata pbrasi Hebræa dicuntur homines, sicut & filij mortis, filij perditionis, filij incredulitatis, & filij contumaciae. Quemadmodum autem supra filios contumaciae nominauit actiue, quia scilicet contumacia aduersus Deum enixe studeant: sic nunc filios iræ dicit passiue: hoc est, iræ Dei propter peccata subiectos & obnoxios. Tales, inquit Paulus, eramus, quemadmodum & ceteri, hoc est, gentiles, quibus nos Iudei nihilo fuimus meliores, sed ijs per omnia coram Deo pares.

LOCI COMMVNES.

Primus. Vitale esse, nos sapè multumq; misera nostra conditionis admoneri, qua ante regenerationem

N S mortat

mortui fuimus in peccatis & delictis: vt eius collatione facta ad ineffabilem beatitudinem, in quam ex illo maiorum omnium pelago sumus translati, inuitemur hinc & accendamus ad debitam gratitudinem soluendam, tanto liberatori, qui nos è tristissimis omnium miserrimarum tenebris assertos vocauit in admirabilem suam lucem. Quæ causa est, quòd hanc rem Apostoli Christianis diligentissime inculcent, & ad animum subinde reuocent, Rom. 3. & 11. 1. Corinth. 6. & 12. 1. Thess. 1. Tit. 3. 1. Petri 2. & 4.

Secundus. Notandum testimonium contra errorem de libertate arbitrij. Dum enim Paulus nos mortuos in peccatis fuisse liquido enunciat, hoc ipso testificatur, esse hominis vires omnes prostratas in rebus sempiternam animarum salutem attinentibus. Nam quemadmodum qui mortuus est, naturaliter nullas retinet vires ad naturales actiones obeundas sic extra regenerationis gratiam ex nobis, quatenus ex nobis, non sumus idonei vel cogitare aliquid boni. Sicut scriptum est: sine me nihil potestis. Quicquid autem possumus, id ex Deo est, qui dat velle & perficere, & vires peccatis emortuas per Spiritum sanctum nos regenerando instaurat, accedit lucem in mente, fiduciam in voluntate, & adigit ad sancta obsequia, adeoque, ad omne bonum opus nos apparat.

Tertius. Obseruanda & confutanda hic venit deprauatio Paulini textus, qua nonnulli fugientes errorem patronorum liberi arbitrij, in oppositum errorem sunt delapsi: docentes, nos in ipsummet peccatum substantia-

liter

2. Cor. 3.

Ioann. 15.

Philip. 2.

liter conuersos esse ac transformatos, ita vt inter animam & corpus nostrum, & inter peccatum, nil quicquam sit relictū discriminis. Idēq; hinc conantur elicere, quia Paulus nos mortuos in peccatis scribit. Verū nequaquā Paulus de destructione naturæ tractat, qua homo ratione substantiæ per essentialē commutationem transierit in substantiam planè aliam, quæ sit peccatum ipsum. Cuiusmodi substantialem corruptionem in primū ille incorruptibilis spiritus hominū, anima, nō subit. Sed de spirituali morte sermo est Apostolo, qua homo retinens animæ & corporis substantiā, per peccatū moritur spiritualiter, hoc est, separatur à Deo, & ad Dei timorē, fidem, aliāq; veræ pietatis opera planè reprobis efficitur.

Quartus. Hæc consideratio porrò à peccatis contra cōscientiam nos deterreat. Quandoquidem qui hū suam cōscientiam polluunt, sunt ex sententia Spiritus sancti coram Deo mortui, vt & alibi scribit: Si secundum carnem vixeritis, moriemini, Rom. 8. Et de viduis lasciuiantibus ac mūdo deditis testatur idē Apostolus, quod viuētes 1. Tim. 5. mortua sint. Demus igitur operā vt posteaq; Christi beneficio viuificati sumus, ne posthac infelici hac ratione peccatis moriamur: sed potius ita moriamur peccatis, vt illa mortificemus. & crucifigamus veterē hominem cum affectibus & cōcupiscentiis. Hoc enim est alia quadā feliciore ratione peccato mori & viuere iustitie. Atq; hæc est resurrectio prima illa, in qua qui partem habet beati prædicatur & sancti, quoniā in illos secunda mors nō habebit, sed futuri sint sacerdotes Dei & Christi, Ap. 20.

Quintus.

Galat. 5.

Quintus. Tristissima seruitus impiorum obseruanda venit, qui cum maxime videntur sibi liberi, disfluentes in omnis generis peccatorum licentiam: verum omnium miserrimi sunt serui. Serui quidem primo peccati. Nam qui facit peccatum, seruus peccati est, Christo teste Ioan. 8. Deinde Satanae mancipia, qui velut laqueis captiuos illos ducit ad omnem suam voluntatem, 2. Timoth. 2. & atrium cordis illorum incredibili conatu custodit, ne isthinc deturbetur, Luc. 11. Sunt item serui corruptionis, ut Petrus ait, 2. Epist. 2. Et hoc tandem est miserum illud stipendium, quod soluitur his, qui peccato seruiunt. Corruptio videlicet, ignominia & mors perpetua, Rom. 6.

Sextus. Exempla prauae conuersationis huius mundi esse plena offendiculi. Etenim cum vident homines vulgatam consuetudinem filiorum huius seculi, quomodo voluptatibus terrena vita toti affluant, & in delitijs atque gaudijs sublimes ferantur: mox de eadem via ingredienda cogitationem instituunt. Atque hoc est ambulare iuxta seculum mundi huius, ut hoc loco Paulus nominat. Ab his autem exemplis grauissima commonesatio. Et tunc Spiritus sanctus deterret Christianos, dum per Dei misericordiam illos obtestatur, ne se accommodent

Roman. 12. ad figuram seculi huius, neque diligant mundum, aut quae
1. Ioann. 2. in mundo sunt, sed potius abnegent mundanas concupiscentias: memores amicitiam mundi esse inimicitiam
Iacobi 4. cum Deo, & schema mundi huius transire, eum autem
1. Ioann. 1. manere in aeternum, qui facit voluntatem Domini.

Septimus.

Septimus. De Satana potentia, ob quam Prin- Ioan. 16.
ceps dicitur aëris: Princeps huius mundi, fortis arma- Luc. 11.
tus, & in genere demones appellantur principatus, po- Ephes. 6.
tēstates mundi Domini, rectores tenebrarum seculi hu-
ius, spirituales astutia in cœlestibus. Qui etiam circum- 1. Petr. 5.
eunt, quærentes quem deuorent: vt huius cum potentia
tum indefessi conatus Diabolorum consideratione exci-
temur ad resistendum illis, ne vnquam nos iugo pristina
seruitutis subiiciant, sed forriter aduersum illos dimi-
cantes, omnibus peractis, stemus, Ephes. 6. & coronam
vitæ reportemus.

Octauus. Questio hîc nascitur, cum dicatur Dia-
bolus agere in filijs contumacibus: anne possit illorum
mentes afficere, & pro arbitrio suo flectere & impellere,
quod videtur solius increate potentia? sicut alias Spi-
ritus sancti Deitas hinc probatur, quod mentes & corda
hominum pro diuino suo arbitrio tractare & flectere
nouit, quod voluerit. Resp. negari sanè non potest, ma-
gnam esse potentiam Diaboli in filijs contumacibus.
Cum enim sit spiritus, idè spiritus spiritum siue men-
tem hominis spiritali quadam & occulta ratione mo-
uere potest & afficere, potest instillare cogitationes pra-
uas, quæ carni adlubescant, & harum adminiculo la-
tentem in natura concupiscentiam inflammare, ac cet-
remis quibusdam totum hominem propellere quod volue-
rit. Interim magna differentia inter actiones Spiritus
sancti & Satanae interuenit, quæ efficit, vt Spiritus san-
cti actiones à diuina, Diaboli verò non nisi à finita po-
tentia

rentia profectè intelligantur. Etenim sicut longè difficilis est, nauem aduerso flumine cōtra impetum aquarum & flatum ventorum impellere, quàm si secundo vento & flumine feratur: sic incomparabiliter excedit arduum illud opus. Spiritus sancti, efficaciam Diaboli, qua suos regit. Etenim Diabolus flectit eò mentes hominum, quò iam antè sua sponte inclinant & propendunt, totòq; affectu ex quadam natura corruptione feruntur: ita vt Satanas carnem hominis habeat naturam consentientem, atq; sic facili momento eam possit incitare ad omnem suam voluntatem, vt Paulus ait. Spiritus sanctus autem mouet corda hominum ad id, à quo illa toto affectu penitus abhorrent, affectus siquidem carnis inimicitia est aduersus Deum, Roman. 8. Proinde noua quedam regeneratio requiritur, noui motus, quorum ne semina quidem tenuia vel igniculi vlli latent in natura post lapsum: Sed noua quasi creatione opus est, sicut Dauid orat, cor nouum crea in me Deus. Ideoq; rectè hinc infinita ipsius potentia colligitur.

Nonus. Monemur, quàm procul absint homines verè p̃j ab eorum hypocrisi, qui suam prauitatem nequaquam agnoscentes, se pulchrè sanctos esse autumant, sicut Phariseus, Luca 18. gratulabatur sibi, quòd non esset vt ceteri homines, &c. At p̃j longè aliter sunt affecti. Hi namque peccata sua haudquaquam extenuant, sed magnitudinem profundissima corruptionis sue penitus expendunt & agnoscunt. Quemadmodum apostolus hoc in loco se quoque accenseret ijs, qui olim in varijs concili-

concupiscentijs carnalibus ambulauerint. Sic David, Esaias, aliq̃, sancti confitentur sua quoque peccata. Id quod de sanctis omnibus affirmat Psalmus tricesimus secundus. Et Ioannes ait: Si dixerimus, quod peccatum non habeamus, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est. Sin confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra & emundet nos ab omni peccato. i. Ioan. 1.

Decimus. Multum facere ad flectendum auditorum animos, si communicationis figura mitigent concionatores suas ad populum exhortationes, & seipsos ijs commonefactionibus includant, ne priuato quodam affectu in illorum vitam dissolutam inuehi videantur, sed vnico & solo desiderio reuocandi illos à precipitijs iniquitatis & interitus in viam iustitiae. Quod videmus Apostolos facitare passim, in primis etiā Paulum nostrū ad Tit. 3. Erasmus & nos stulti, inobedientes, &c.

Vndecimus. De extrema corruptione Natura, qua rapidissimo cursu tota fertur ad malum, nisi per Spiritum sanctum renouetur, & saluari ipsius regimine in contrarium flectatur. Hinc illa voces scripturae: Omne sumentum cordis tantum malum est ab adolescentia, Genesis sexto cap. affectus carnis inimicitia est aduersus Deum, legi enim non subditur, imò ne potest quidem, Roman. 8. Quam peruersitatem Natura adhuc sentiunt & deplorant etiam renati, vt D. Paulus non sine gemitu fatetur, delectari quidem se lege DE I iuxta internum hominem, sed inuenire legem
aliani

aliam in membris suis reluctantem legi mentis sue, & captiuum ipsum ducentem sub legem peccati, Rom. 7. Hec considerare operaprecium est, tum vt eò impensius oremus Deum pro Spiritus sancti ope, cuius virtute naturalem affectum frangere liceat, tum quoque vt ista consideratione materia nobis subministraretur semper nos sub potenti Dei manu humiliandi.

Duodecimus. In specie admonemur de concupiscentia, cuius expressam mentionem facit Paulus, & inter peccata rejcit. Damnanda igitur opinio Pontificiorum, atque in primis conciliabuli Tridentini Canon, quo cõtra vocem Spiritus sancti statuitur, etiamsi nunquam scriptura concupiscentiam peccatum nominet: tamen Ecclesiam nunquam credidisse, quòd propriè aut verè peccatum sit, sed tantum oriri ex peccato, & ad peccatum incitamentum quoddam esse. Nos autem pluris ducimus oracula Dei & sanctorum Apostolorum testimonia, quæ sonora voce edisserunt, concupiscentiam verè proprièq; peccatum esse. Sic enim Paulus: Peccatum, inquit, non cognoui nisi per legem. Nam & concupiscentiam non nouissem, nisi lex dixisset, nò concupisces. Nimirum hinc peccatum illam esse conuincens, quia sit Dei lege prohibita. Quicquid enim Decalogo prohibetur, id quia æterna & immutabili Dei voluntati inimicum est, propriè peccatum sit oportet, iuxta definitionem scripturæ: Peccatum est *crõpõõõ*. Ideoq; Ioannes tam seueram profert sententiam in concupiscentia sectatores, vt palàm scribat: Si quis diligit mundum,

mundum, non est charitas Patris in eo. Quoniam omne quod in mundo est, veluti concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum & fastus vitæ, non est ex Patre, sed ex mundo est, 1. Ioan. 2. Et Saluator Christus etiam inordinatum affectum cordis iudicij & damnationis reum Matth. 5. pronunciat, iram videlicet, vt & aspectum alienæ coniugis cum inordinata concupiscentia coniunctum.

Decimustertius. Amplius ergo docemur, si quando titillamur aut tentamur à concupiscentia, ne protinus gentium more frenum ei laxemus, nec diu animo voluamus eam, donec adlubescat. Alias enim concipit & parit peccatū grauius, & hinc in exitium hominem præcipitem agit. Quod impijs vsu venit, qui toto impeturo rapiuntur ad appetendum ea, quæ fert libido, & dicitur carnis peruersa cupiditas. Nos resistamus huiusmodi prauis motibus, & membrorum inordinatos affectus amputemus, eruentes oculū, amputantes manum, pedem, &c. si offendat nos, id est, resecantes praua membrorum desideria. Quod Iacobus monet scribens: Vnusquisque tentatur, dum à propria concupiscentia abstrahitur & inescatur. Deinde concupiscentia posteaquam concepit, parit peccatum, peccatum verò quando perficitur, progignit mortem. Iacobi 1.

Decimusquartus. De peccato originis etiam admonemur ex Apostoli verbis, & discimus id non herere in Naturæ superficie, ita vt impollutam eam relinquat. Quemadmodum sophistæ sub Papatu disputarunt, naturalia mansisse integra. Quin potius vniuersam Natu-

ram hominis hoc abominabili malo horribiliter perfusam meminerimus, ut nihil quicquam in toto homine impollutum reliquerit à vertice capitis vsq; ad plantam

Esaia 1. pedis, ut Propheta loquitur. Atque hoc malum non imitatione demum contrahi, aut consuetudine quadam concilari, sicut habitus morales, sed ipsi semini, è quo

Psalm. 51. formamur, inherere. Vnde naturâ filij iræ, in peccatis

Iob 15. concepti, & nati pradicamur, in ipso materno utero iniustitiam velut aquam haurientes, immundi scilicet ex

Iob 14. immundo concepti semine, atque sic vel ob hoc solum peccatum, si maximè actuale nullum accederet, rei iræ & damnationis perpetuæ.

Decimus quintus. Hinc ergò liquet vltcrius, quàm grauius errent Anabaptistæ, quorū nonnulli haud obscurè tradunt ac sentiunt, paruulos nullum habere peccatum. Diuersum edocemur perspicuo hoc Apostolico testimonio: eramus naturâ filij iræ: Et euincit hoc ipsum irrefragabilis effectus, quando & infantes mori cernimus. Vnde peccatores illos esse liquet. Siquidem vbi non est peccatum, ibi nec mors vllum habet ius, quæ non nisi peccati stipendium est, Roman. 6. sicut scriptum est: aculeus mortis peccatum, 1. Corin. h. 15. Et rursum: mors in omnes peruasit, quatenus omnes peccauerunt, Rom. 5.

Decimus sextus. Hinc per consequentiam inferitur ac discitur, quoniam etiam paruuli sunt naturâ filij iræ, sicut & ceteri: quod baptismus eis negandus non sit, sed hoc salutari lauacro regenerationis emundandi,

dandi, vt à peccati reatu liberentur. Quod CHRIS-
TVM voluisse & sanxisse hæc ipsius verba declarant :
nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest
ingredi regnum cælorum. Et rationem addit, quæ &
paruulos citra omnem dubitationem complectitur :
Quod ex carne natum est, caro est, subinnuens, id
quod carnali natiuitate à parentibus descendit, esse
carnem, id est, pollutum ac reum : ideoq; aqua & spiri-
ture regenerandum.

SECUNDA PARS.

Descriptioni conditionis pristina opponit Paulus sta-
tum hominis sub gratia, prædicans immensam bonita-
tem Dei, cuius dono ex vastissimo illo miseriarum omnium
pelago misericorditer sint eluctati Christiani.

SED DEVS qui diues est] Propositio est: Deus
vos ex morte peccati eripuit. Hanc propositionem non
ita concisè ponit, sed amplificationibus adhibitis insi-
gniter illustratam. Nam & subiectum & adiunctum
mirificè exornat explicatione causarum salutis nostræ.
Subiectum quidem propositionis hisce verbis: DEVS
qui diues est in misericordia, &c. Vbi primam
& supremam omnium nostræ salutis causam designat
DEVM. Hunc non simpliciter bonum aut misericor-
dem prædicat, sed DIVITEM in misericordia, qui
suam bonitatē non apud se continuerit, sed abyssum mi-
sericordiæ patefecerit & ad nos illam deriuarit, non ob
vllum aliquod meritum antegressum, quo præcuerimus

non habemus ex merito nostro, sed vt per istam parenthefin docet Apostolus, per gratiam.

Simulque cum eo sedere fecit in cœlestibus, &c.] Pergit amplificare beneficium DEI nobis præstitum. Non solum à formidabili morte peccati & damnationis nos rediuiuos voluit, sed, quod maius est, fecit nos vnâ cum Christo sedere inter cœlestes. Non quidem nos collocauit ad dextram suam, quod ad eò competit Christo soli, vt ne Angelorum quidem vlli dictum sit vnquam: Sede à dextris meis. Nihilominus autē in eandem vitā eternam nos collocauit, in cœlestibus. Caterum quod subiūgit: in Christo Iesu: causam meritoriam totius beneficij designat Iesum Christū, qui hoc totū obedientia & passione sua nobis acquisiuit.

Vt ostenderet in seculis superuenientibus, &c.] Finalem causam exprimit declarata in nos istius beneficentia, quæ est, vt ad omnem venturam posteritatem (hanc quippe seculorum superuenientium appellatione intelligit) extet illustri documento testificata Dei singularis bonitas. Quam verbis suprâ modum prægnantibus nominat eminentē opulentiam gratiæ Dei, vtpote qua thesauros suæ admirandæ benignitatis reserauit, & sine radio hinc deprompsit, quæ ad absolutā nostrā beatitudinē pertinebant. Huius clementia suæ memorandū extare voluit in genere humano testimonium, ex benignitate sua, quæ se ad eternas utilitates nostras protulit, ideoq; ἡγεμότης dicitur.

Gratia enim estis seruati, &c.] Sententiā, quam
O 3 suprà

suprà quasi per parenthesin interseruit: nunc repetit, & plenius explicat, atque in summam colligit totum mysterium salutis & iustificationis, ostensis fontibus & causis. Seruati estis, inquit, nō à temporali, sed eterno interitu vindicati & asserti. Quomodo vero? Gratia Dei, qui gratis hanc insignē liberationem præstitit. Per fidem] Fidei, vt instrumento, tribuit apprehensionem acquisita & oblata salutis.

Idēq; non ex vobis] Sicut gratia vox implicite omne nostrum meritū à negotio salutis arcet: ita nunc explicite nos totos excludit à laude acquisiti beneficij, vt & veras causas ponat, & falsas remoueat. Atq; hoc eleganter facit alternis vicibus. Nam vt modo dixit: Gratia seruati estis, non ex vobis: sic nunc pergit: Donum Dei est: non ex operibus] Donum & opera per manifestam antithesin contendens, & tanquam aduersum se diuisa in iustificationis foro disseparans: dono quidē seu liberalitati Dei omnem salutē nostram acceptā ferens: operibus omnem eius laudē dignitatēq; derogans. Ne quis gloriatur] Cur operibus nostris adimatur vīs cōferenda salutis, ostendit (inter ceteras causas, quæ recēsentur alibi) etiam hanc, vt videlicet omnis gloriationis ansa præscindatur, & ab hoc falso fine, quē captant hypocritæ & ex operum iustitia, ad verum vere iustificationis finē iraducantur homines, qui est, vt Deo in solidum totius nostre salutis summa trāsferibatur, omninīq; in illū solum laus & gloria cōferatur. Nā ipse sumus epus] Occupatio est, qua Hominiū carnalium cogi-

cogitationes antevertit, qui concione de gratuita salute hominis sine operibus, abutuntur contra iustificationis Naturam & licentiam peccandi. Hos confutat Apostolus, asserens, nos Dei esse opus. Quod non tantum creationis respectu dicitur, verum propius, ratione illius viuificationis in Christo, de qua dixerat, quia scilicet ad vitam nouam nos regenerauit, & vt ipsemet operis voculam exponit, in Christo Iesu, quasi de nouo condidit ad bona opera, ad quæ prius reprobi & emortui fueramus. Vnde aquisitum subinducat, vt Christiani Deo, tãquam opus opifici suo per sancta obsequia deferuiant, & pro accepto dono gratos se illi præsent ipsi operibus, ad quæ hoc modo sunt conditi, nõ certè idèd, vt ociosi torpeant & langueant in studio pietatis: sed potius vt in bonis operibus ambulent, & conuersationem vitæ suæ in ijs tanquam via mandatorum Domini terant & exigant.

LOCI COMMVNES.

Primus. Ad consolationē accommodemus amabile hoc epitheton Dei, quo diues in misericordia prædicatur. Hoc ipsum enim proponit nobis & commendat illustris Exod. 34. reuelatio Moysi facta in rupe, vbi Iehoua prædicabat in nomine Iehouæ hunc in modum: Iehoua fortis, misericors & miserator, longanimis, & multa misericordiæ & verax. Hinc misericordia eius superare dicitur o- Psalm. 56. mnia opera eius, & nubes, imò cælos transcendere. Hinc misericordia ipsius in nos prædicatur tanta, quantum ipse est. Sicut elogia bonitatis Dei passim extant, vt

O 4 per

per huiusmodi scripturarum consolationē in hanc spem
Psal. 103. erigamur, quod non secundum peccata nostra acturus
 sit nobiscum, neque secundum iniquitates nostras retri-
 buturus nobis, sed pro infinita sua misericordia dimissu-
Mich. 7. rus peccata, eaq; in profundum maris proiecturus. Neq;
Esa. 55. fons iste misericordiae Dei vel exhauritur, vel exarescit,
 quin ad hauriendum inde vniuersos inuitet, dummodo
 poenitentiam agant, & in Christum mundi seruato-
 rem credant. Nam hac ipsa charitate sua motus filium
Daniel. 9. misit, ut is victima pro peccatis factus amissam iustitiā,
 inductis & obfignatis iniquitatibus, reduceret. Quam
 bonitatem pleno ore commendat Christus, Ioan. 3. lau-
 dant & in eam introspicere desiderant Angeli, Luc. 2. 1.
 Petri 1. celebrant & extollunt Apostoli, Roman. 5. & 8.
 Ioan. 1. Epist. 4.

Secundus. Admonemur isthinc etiam, quā chari-
 tas nos beet ac saluet, num nostra, quā Deum & pro-
 ximum diligimus, vel Dei? Paulus namque confirmat
 nobis, quod per S V A M charitatem Deus nos conuiui-
 ficarit, & saluos fecerit: contestante & suffragante
 Ioanne, cum scribit: In hoc est charitas, non quod nos di-
 lexeimus Deum, sed quod ipse dilexerit nos, & miserit
 filium suum propitiationem pro peccatis nostris, 1. Epist.
 4. Absurdum igitur dilectionem nostram causam face-
 re, quā Dei dilectionem anteuertat, eamq; nobis conciliet.
 Quod verē esset causas, & effecta causarum con-
 fundere & inuertere. Et quomodo possemus praeuenire
 dilectionem Dei, quā dilexit nos, cum adhuc essemus
 mortui

mortui per delicta? cum nulla vires suppetere Deum diligendi? imò cum inimici essemus, vt Roman. 5. scriptum legitur?

Tertius. Discimus, ea quæ Christo sine omni mensura contigerunt, obtingere nobis secundum mensuram donationis ipsius, ex cuius plenitudine nos, cōsortes eius, accipimus gratiam pro gratia. Quemadmodum enim ipse resuscitatus est ex mortuis; sic & nos beneficio illius resurgemus. Quemadmodum ipse collocatus est ad dextram Maiestatis in cœlestibus: ita & nos (etsi non ad dextram Maiestatis) tamen inter cœlestes in vita beata collocabimur. Quemadmodum ipse regnat, sic & nos 2. Tim. 2. conregnabimus, conformes illi futuri in gloria, sicut per Rom. 8. crucem in hoc seculo imagini illius redditi sumus conformes. Atq; hac est illa hereditatis communio, gratia cuius heredes quidem Dei, coheredes autem Christi nominamur. Similes quippe erimus illi, vt Ioannes ait, etsi 1. Ioan. 3. non æquales.

Quartus. Quoniam sumus iam Christi beneficio viuificati, caueamus nobis ab operibus mortuis & infrugiferis tenebrarum, caueamus nobis ab inani gloriatione fidei, quæ fides mortua dicitur, Iacobi 2. Quin potius declaremus actionibus nostris nos verè viuos, hoc est, ad bona opera nouæ spirituali vitæ congrua, idoneos & frugiferos, sicut Rom. 6. Paulus symbolo mortis, sepultura, & resurrectionis Christi eleganter hortatur.

Quintus. Hic locus Apostoli docet quoq; quid respondendum sit, cum aduersus communicationē Maiestatis

statis Christi obicitur illud Seruatoris: Pater volo, ut ubi ego sum, sint & hi quos dedisti mihi, Ioan. 17. Vnde colligunt nonnulli, Christum Humanitate sua tantum in cælo esse, nullo autem modo reali, quantumuis Diuino, esse posse alibi: sed ibi tantum, ubi & sancti sint. Patet ergo ex hac declaratione Pauli, quod ea verba Christi non ἀλλ' ὅς sint accipienda, quasi ubicumq; tandem Christus sit, ibidem etiam sancti sint, aut quasi Christus non sit alibi, quàm ubi sint electi hac vita functi. Nam Apostolus tradit hoc in loco, quod fideles quidem considere cum Christo in cælestibus, id est, in eadem vita æterna: nequaquam autem, ut prius de Christo dixerat, sedere fecit illum ad dextram suam in cælestibus: ita idem de sanctis asserit: sed de his tantum dicit, quod sedere fecerit illos vnâ cum Christo inter cælestes. Sessio enim à dextris Dei ne quidem Angelis cælorum conuenit, Heb. 1. sed ei soli, qui cum æterno Deo vnum indiuisum & insegregabile est ὁμοῦ καὶ ὁμοῦ. Dicitur quidem de electis, quod Christus illos statuet ad SVAM dextram, καὶ ὁμοῦ καὶ ὁμοῦ ibi nouissimi iudicii actum verbis illis proponens. De Patris autem omnipotente dextra in æternum manet verum illud Heb. 1. cui Angelorum dixit vnquâ: Sede à dextris meis? Sic cùm in Apocalypsi dicit Filius Dei: Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno MEO, sicut & ego vici, & confedi cum Patre meo in throno BIVS: perspicuè ibi non vnius, sed duplicis throni meminit. Quorum alter est cælum siue regnum cæleste. Nam & cælum thronum Dei dicitur, Esa. 66. Matth. 5. atq;

hic

hic in dicto Apocalypseos peculiari de causa nominatur Christi thronus, quodam ad fideles respectu, quibus hunc beatitudinis gloriaq; thronum suo merito acquisiuit, & locum illum, vt Ioannis 14. appellat, eū parauit. In hunc thronū suum, id est, suo merito illis acquisitum vult Christus collocare fideles suos. Et huius respectu dicuntur sedere cum CHRISTO, in eodem, vt dictum est, regno cœlesti. Alter autem thronus est PATRIS thronus, omnipotens eius dextra: ad quam præter CHRISTVM nemo in æternum collocabitur. ideoque non dicit Filius Dei, qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno PATRIS, vel in dextra Patris, sed in meo throno. Sancti quippe sedent quidem cum Christo inter cœlestes, non autem sedent cum Patre in throno siue dextra omnipotentia ipsius.

Sextus. De summo fine, ad quem Deus salutis nostræ totum consilium refert, nimirum ad æterni sui nominis gloriam illustrandam, vt non nobis, sed ipsi omnis adscribatnr gloria, Psalmo 15. & Dan. 9. Non quidem, quod tam sit gloria cupidus, aut quicquam Maiestatis illi possit ex nostris laudibus accrescere. Non enim ipse perficitur, cum collaudamus sanctum nomen eius, sed nos inde perficimur, & meliores reddimur. Proinde ad hunc vltimum nobilissimūque finem dirigamus & nos vniuersas nostras actiones, tanquam populus in hoc delectus, vt diuitias & virtutes eius predicet. Sicut scriptum est, Esaie 43. Omnis qui inuocat nomen
meum,

meum, ad gloriam meam creavi illum. De quo *sine* supra quod, non pauca differuit Apostolus, cum nostra ad vitam predestinationis mysterium explicaret, Eph. i.

Septimus. De iustificatione hominis merè gratia, cuius tam perspicuum hic testimonium extat, quam ferè in yniuersa scriptura. Nam omnes causæ hîc euidenter explicantur. Et collocatur iustitia nostra in sola Dei gratia, & merito Christi per fidem apprehenso. Actota hæc pericope eò directæ est, vt ab hominib; peccatorib; iustificatione operum respectus arceatur. Quoties enim reperit Paulus, Gratia seruati estis, toties ostendit, operibus nullum in negotio salutis nostræ esse locum. Neg enim gratia hîc significat habitus infusus, sed gratuitum Dei fauorem, velut hîc per alia æquipollentia vocabula explicatur, putâ quòd dicitur misericordia Dei: Dilectio Dei, qua nos, mortuos in peccatis, dilexerit:

Rom. ii. *Respondens.* Ergo hinc cum Apostolo argumentamur: Si ex gratia, iam non ex operibus, aliàs gratia non esset gratia: sin ex operibus, iam non ex gratia, aliàs opus non esset opus. Rursum, quando donum Dei vocat salutem nostram, palam edocet, non ex operum prouenire dignitate aut merito. Quod antitibi quidam Paulus Rom. 6. declarat, de peccato quidem pronuncians, stipendium eius esse mortem. Ne autem hinc colligendum quis putaret, oppositam morti vitam esse stipendium bonorum operum, sicut mors malorum: adiicit: Donum autem Dei vita æterna per Iesum Christum Dominum nostrum. Tertiò non solum implicite remouet opera à iustificatione,

tionem, sed explicitè scribit: NON EX OPERIBVS.
Qua negatiua sepiſſimè apud Paulũ occurrit, vt Rom. 3.
& 4. nec nõ 11. capite, Gal. 2. & 3. 2. Timoth. 1. & Tit. 3.
Quamobrem nõ eſt, vt Pontificij nobis litem intendant,
quòd Propoſitio (ſola fide iuſtificamur) totidem ſyllabis
in ſcriptura non reperiatur. Praterquam enim quòd
Gal. 2. legitur phraſis planè equipollens: ſcimus non iu-
ſtificari hominem ex operibus legis: NIſI per fidem Ie-
ſu Chriſti: accedit inſuper, quòd phraſes Paulina multò
etiam fortius opera ſecludunt à iuſtificatione, quàm
noſtra, qua hominem ſola fide iuſtificari dicimus. Hec
enim implicitè id facit: Pauli verò phraſes explicitè:
NON EX OPERIBVS. *Quartò, dum cauſam red-*
dit, ob quam non iuſtificemur ex operibus, videlicet, ne
gloriemur: denuò nobis pro gratuita iuſtificatione
aſtruenda ſuppeditat argumentũ non vulgare. Nam
ſi iuſtificatione ſic deſcribenda eſt, vt omnis occaſio gloria-
tionis eripiat homini: vtq; ea non noſtris operibus ad-
ſcribenda fuerit. Neq; hic valet quicquam, quòd Ponti-
ficij inter renatorum & non renatorum opera diſtin-
guunt. Nam quia renati in ſuis operibus Spiritui ſancto
cooperantur (tameſi ex donatis viribus) vnde &
ὁυεργοι dicuntur poſt regenerationem: nequaquam
proſectò omnis ſublata erit gloriatio, ſi ad renatorum
opera referatur iuſtificatione & ſalus. Ideoq; Paulus tum
hic, tum alibi ſine vlla prorsus diſtinctione ſimpliciter
aſſeruat, iuſtificari nos SINE OPERIBVS: ne
quidem renati Abrahami opera in forum illud iuſtifi-
cationis

cationis intromittens, sed peculiari tractatu isthinc se-
 Rom. 4. cludens: ed quod nullum ibi valeat opus, prater vnicum
 obedientia Christi opus, cuius solus & VNIVS obe-
 dientia iusti constituuntur multi. Et memorabile est,
 Rom. 5. quod Spiritus sanctus per os & calamus Diui Pauli
 opera excludit non tantum à constituenda iustificatio-
 ne, sed etiam à SALVATIONE. Gratia SALVA-
 TI estis, & non tantum iustificati gratia, quasi opera,
 que post iustificationem sunt, nihilominus ad salutem
 absoluendam & consummandam requirantur. Sed o-
 pera in vniuersum omnia à TOTO opere salutis, cum
 in iustificatione, tum in saluatione, seu beatificatione,
 vt Paulus ex Dauide nominat, excluduntur, non qui-
 dem vt in homine non adsint, sed ne ad iustitiam, vel sa-
 lutem nostram constituendam requirantur.

Octauus. Doctrinam de gratia, & gratuita iu-
 stificatione rectè secundum verbi diuini declarationem
 intellectam nō laxare disciplinā, nec subministrare ma-
 teriam contra conscientia peccandi. Paulus salutem to-
 tam nostram derogat operibus, & nihilominus eius nodi
 rationes promit ad persuadendum studium bonorum
 operum accommodatas, quas nemo pius vel ineffica-
 ces dicere, vel contemnere possit. Ipsa dilectio & mise-
 ricordia Dei, in gratuita nostri iustificatione, exhibita,
 presentissimum est incitamentum ad nostram pro tan-
 to tamque diuino munere gratitudinem declarandam.
 Finis iustificationis, qui est gloria Dei, similiter pia
 mentes extimulat, vt in operum & virtutum Christiana-

narum stadio ac studio ad Dei gloriam illustrandam elaborent. Et quod tanquam opus Dei, conditi scribimur ad bona opera, vt in eis ambulemus, merito calcar nobis addit, ne dictis aut factis opifici nostro aduersemur, sed per omnia illi nostra obsequia, sancte castèque viuendo, approbemus: memores copiosam hanc gratiam Dei obtigisse nobis, vt illum timeamus, Psalmo 130. & ab inimicis nostris nos assertos, vt in iustitia & sanctitate illi seruiamus omnibus diebus vitæ nostræ, Luca 1. Sicut consimiles exhortationes ad bona opera ex medio opere iustificationis gratuita petuntur, Tit. 2. & 3.

Nonus. Dignitatis suæ admonentur renati, quod dicuntur nouaratione opus Dei, conditi in Christo Iesu ad opera bona. Quod ad Corinthios Apostolus repetens, 2. Cor. 5. ait: Si quis est in Christo Iesu, noua creatura est, vetera præterierunt: ecce noua facta sunt omnia. Renouati quippe sunt pii Spiritu mentis suæ, & induunt nouum hominem, qui iuxta Deum conditus est per iustitiam & sanctitatem veritatis: ita, vt iam recta facie gloriam Domini in speculo representantes ad eandem imaginem transformentur à gloria in gloriam, tanquam à Domini Spiritu. Ergo ne simus amplius addicti studijs ac desiderijs veteris Adami, Rom. 6. sed in nouitate vitæ ambulemus, in hisce operibus, ad quæ sumus conditi. Neque tamen hac dignitate efframur, quasi quicquam ex nobis, tanquam ex nobis possumus, sed nos **CONDITOS** ad bona opera,

reco-

recordemur virtute eius, à quo omne bonum ac perfectum donum de super descendit.

TERTIA PARS.

Postquam Diuus Paulus statum Ephesiorum sub gentilismo graphice depinxit, & conditionem beatam, quæ ex Dei bonitate illis obtigit, velut in illustri imagine proposuit: nunc per ἐπεὶ vobis ad pristina miseria recordationem reuocat illos, & ex superioribus infert, cum olim fuerint beneficiorum Dei exortes, quorum nunc participes sint reddit, dent operam, ut eo maiore gratitudine memoriam collati doni conseruent.

Quapropter mementote, &c.] Vult dicere Apostolus: Audiuitis ex præmissa narratione, quàm fueritis olim homines miseri, cum adhuc essetis sub ignobili iugo seruitutis peccati & Satana: Audiuitis vicissim quomodo sola misericordia Dei in beatam hanc lucem cognitionis Dei & æternæ beatitudinis emerferitis.

Quod cum ita se habeat, sicut negare non potestis: agite, ô vos Ephesii, vtrumq; hoc velut in arce memoria vestra locate, ne vnquam eorum per incogitantiam obliuiscamini. Mementote quòd gentes fueritis, non Israëlita, & quòd præputium vocabamini, signo fœderis gratia orbat, quod erat circumcisio carnis siue præputij. Ab hac carnis circumcissione, quæ manibus fiebat, eratis vos alieni. Et quidem tolerabile fuisset aliquo modo, externa ceremonia destitui, ni vnà cum illa fuisset priuati ijs bonis, quæ Deus per exter-

nam carnis circumcisionem efficaciter operabatur. Quandoquidem eratis tum sine Christo, cuius promissioni inferebantur per fidem, qui circumcisionis sacram in suo corpore percipiebant. Erat enim id eis signaculum iustitiæ fidei. Sine Christo igitur fuistis olim à communione beneficiorum eius exclusi per incredulitatem. Eratis abalienati à Republica Israël, hoc est, à communione populi Dei. Eratis extranei à testamenti promissionum, utpote quæ tantum spectabant ad populum Hebraum, & qui ex gentibus huic populo se fide & confessione adiungebant. Quod vos facere detrectastis, partim ex ignorantia mentis, partim ex odio populi Hebræi, partim ex superbia, qua indignum censuistis, ut vos submitteretis religioni alterius populi. Testamentorum autem meminit in plurali numero, non quod plura, quàm vnum, nempe vetus illud pactum, cum Iudæis sanxerit Dominus: sed quia beneficia noui fœderis non minus ad veterem populum fidelem, quàm ad Christianos sub regno Messie pertinebant, etiamsi substantia nouo Testamento propria, hoc est, Christus secundum carnem tum nondum apparuerit, sed per *ὁμοίαν* veteris pacti adumbratus, ac velut per nebulam figurarum eminens ostensus sit. Pergit autem apostolus per censere, quibus ad vitam æternam necessarijs bonis olim caruerint. Spem non habentes] Erat & hoc non vltimum documentum miseriæ vestræ, quod spem nullam habebatis cōsequendi vitam æternam, quippe idololatræ & per incredulitatem alienæ à Christo, in quo sole posita est vita æterna ratio.

P Deniq;

Deniq; Deo carebatis in mundo] Eratis plane
 2. Theſſ. carentes vero & vnico Deo, qui ſe genti Hebrao-
 rum patefecerat. Nam quibus vos ſeruiebatis, non erant
 Dñj ſed commentitia bruta & muta numina, & huma-
 ni cerebri ſegmenta. Ita neq; vos carabatis Deum ve-
 rum, neq; ille curabat vos, ſed iuſto iudicio ſuo ſiuit vos
 ingredi in vijs veſtris. Hæc eſt illa ἐν τῇ ἀνομίᾳ malo-
 rum, in quorum gurgitem & abyſſum demerſi fuerant
 gentiles. Horum Paulus illos nunquam non vult eſſe me-
 mores.

LOCI COMMVNES.

Primus. De inexplicabili infelicitate eorum po-
 pulorum, quibus non fulget lux Euangelij gloria Chriſti.
 Tales enim peregrini ſunt à Teſtamenti promiſſionum
 excluſi à communione populi Dei, alieni à Chriſto, ſepa-
 Ephes. 4. rati à Deo, & abſciſi à vita Dei, propter ignorantiam
 quæ eſt in illis, & excacationem cordis eorum. Tales o-
 2. Theſſ. 4. mni carent ſolida ſpe, ſive in vita, ſive in morte. Si quid
 aduerſi in vita eo accidat, nullum habent Deum, in
 cuius ſinum querelas ſuas & gemitus effundant. Nam
 Deos ſuos, quos coluere gentiles, ipſimet nominant
 ἡγετοὶ τυφλῶν.

Porro ſi moriendum eſt, omnis illorum ſpes in nihi-
 lum euaneſcit: à terrenis bonis abripiuntur per mortem.
 De cæleſtibus nec ſciunt, nec illorum conſequendo: um
 rationem norūt. In ipſa morte quam miſere trepidant?
 dubij & anxij, quid ſe futurum ſit. Sicut Adrianus
 apud

apud Aelium Spartianum moriens, ait: *Animala, vagula, blandula, hospes comesq; corporis, pallida, rigida, nudula, quæ nunc abibis in loca? nec ut soles, dabis iocos.*

Quin etiam hi qui per omnia securi moriuntur inter gentes eo momento, quo anima illorum è corporibus euolant, præcipitantur in gehennam ignis inextinguibilis, haud aliter, ac si quis de celsissima petra in præceps ruat, ubi de nullo periculo sollicitus erat. Quare non immerito Spiritus sanctus affirmat populos Dei & Christi ignaros, sedere in tenebris, & in regione umbræ mortis, Esaia 9 & Matth. 4. Quamuis enim haud raro valent potentiâ, pollent autoritate, abundant opibus, clari sunt victorijs, triumphis & trophæis, & eminent maiestate dominandi alijs subiectis gentibus: tamen vniuersa hæc desinunt tandem in vulgatum hoc: sic transit gloria mundi: non aliter, quam fumus in auram dissipatur.

Secundus. Patet ergo econtrâ, quanta sit felicitas simul & dignitas populi alicuius, si in eo vigeat publicum ministerium, floreat cultus sacer Dei, sonet vox doctrinæ cœlestis, & legitimus Sacramentorum vsus secundum verbi præscriptum exerceatur. In populo Iudaico celebrat hoc beneficium Dei Moses: admiratur Psal. 147. David, prædicat Paulus, Christus ipse gentem Iudæo. Rom. 3. rum ob id ceteris in orbe nationibus anteponit, quando & 9. salutem ex Iudæis potissimum esse ad Samaritanam Ioan. 4. perspicuè confirmat. Quoniam ergo his nouissimis temporibus nostra nationi concessum est diuino munere,

ut ex superiorum seculorum tenebris & formidabili caligine non modo superstitionis ethnicae, sed etiam idolomania Pontificia sol iustitia Iesus Christus nobis illuxerit: quantas immortalis Deo debemus gratias? quae sollicitudine laborandum nobis, ne per contemptum doni caelestis in pristinam voraginem miseriae absorbeamur? sed potius sacrosanctum depositum custodiamus, idque sartum tectum ad dilectam posteritatem transmittamus?

Tertius. Quemadmodum Paulus vult Ephesios perpetuo memores esse veteris suae calamitose conditionis: ita nos etiam decet nostra infelicitatis, in qua fuimus, nunquam obliuisci. Nos enim à gentibus illis veri Dei ignari nostram trahimus originem. Proinde conuenienter multoties ad animum reuocare maiorum nostrorum cecitatem, cum praesentissima rerum omnium desperatione coniunctam: quo pacto in tenebris & umbra mortis sederint. Imò & propria nostrae infelicitatis memoriam recolamus, quod & nos ante baptismum alieni fuimus à Christo, extranei à fœdere Dei & communione Ecclesiae, & naturam filij irae, ut circa primam partem est dictum.

Quartus. Sacramenta quae Deum promissionibus suis annectit, non esse vacua & inania signa, sed operativa, per quae Deus efficax est, fidem per ea, vel de nouo excitans, ut in circumcisione paruulorum in veteri, & Pado-baptismo in nouo Testamento, vel eandem confirmandi & adaugendi, ut in ceteris Sacramentis. Quae doctrina
hinc

hinc nobis emergit, quia Paulus ceu partem infelicitatis gentilium assignat, quod circumcisione fuerint orbat.

QVARTA PARS.

Redit ad subsequente beatitudinis celebrationem, quam & prius calamitatum descriptioni subiunxerat. Nunc autem per Christum Iesum, &c.) Prædicat diuinum munus gratuite vocationis Ephesorum ad Ecclesiam Christi, hoc sensu: vos, qui quondam eratis rationibus modò dictis longinqui à Deo, à Christo, à cultu & ab Ecclesiæ societate: propinquitiam facti estis, coniuncti Deo & Christo, associati in vnitæ fidei populo Ecclesiæ, ex Ethnicis felicissima commutatione Christiani facti. Hoc inestimabile Dei donum non vestræ alicui dignitati, quæ nulla est, acceptum ferte (quàm enim eo fueritis indigni, admiistis modò) sed à Christo Iesu vobis vnicè prouenire cogitate. Per hunc propinqui facti estis, quod vobis impetrauit sanguinis sui pretio. Hic est pax nostra, non solum inter Deum & nos pacem per peccatum perturbatam redintegrans, sed etiam tollens dissidium, quod erat inter vtrumq; populum, Hebræum & gentilem, dum ex vtriusq; vnum fecit populum, vnā Ecclesiam, vnā domū, posteaquā interstitium materiæ siue medium illum seu intergerinum parietem diruit, qui gentes ab Hebræis veluti septo quodam dirimebat. Et abrogauit similitudinem, hoc est, id quod eiusmodi inter vtrumq; populum separationē faciebat, videlicet legem, non moralem Decalogi, quæ sempiterna est, sed eam, quæ lita erat in decretis, seu multi-

placibus ceremonijs secernentibus Hebraum populum à
 ceteris gentibus quodam interposito septo variorum sa-
 crificiorum, rituum, lotionum, sanctificationum, di-
 scriminis mundorum & immundorum. Eam legem
 sustulit Christus per carnem suam, qua expleuit o-
 pere ipso ea omnia, qua ceremonia ille sub typorum in-
 uolucris praefigurabant, ut iam ille veluti suo officio de-
 functa euanescerent. Et hoc quidem sine atq; consilio
 hoc totum fecit, ut duos populos conderet in vnum
 nouum hominem, siue duas illas hominum disun-
 ctissimas nationes in vnam redigeret nouam, cessante
 videlicet & per Christum antiquata veteri forma Ec-
 clesiae Iudaica, sublatisq; Leuiticis ordinationibus per
 praedicationem Euangelij Iudaei simul & gentes in vnam
 Ecclesiam coalescerent: quae sub regno Messiae noua qua-
 dam forma insignis esset, non iam intra vnus nationis
 moenia se continens, sed proleis regni pomœrijs in or-
 bem omnium gentium populorumq; se dilataret, nouis
 sub Christiana libertate privilegijs gaudens, nouis ritibus
 & Sacramentis vtens. Et omnino huc diuini sui consilij
 rationes direxit Christus, ut pacem faceret, inductaq;
 offensarum memoria perpetuam à vnitione sanciret, tum
 gentes cum Hebraeis, tum Hebraeos cum gentibus in gra-
 tiam reducendo, tum (quod summum est illius redinte-
 grationis caput) ambob; Deo reconciliando in vno
 suo sanctissimo corpore, per crucem, dum illud cru-
 cifigendū pro mundi salute & optata illa pace, expone-
 re minime dubitauit, dummodo per crucis suae mortem
 perime-

perimeretur inimicitia, quæ utrumq; populū ab in-
 uicem, ambos verò a Deo per triste dissidium separabat.
 Quod consecutus est, legē quidē Iudeos & gentes disjun-
 gentem perfectē adimplendo, peccatū verò a Dei cōmu-
 nione ambos disjungendo, plenissimāq; satisfactione ex-
 piatum ē medio tollendo. Vt autem beneficiū suis nume-
 ru plenū exhiberet, non modò venit in mundū, vt pacem
 istā nobis conciliaret: sed etiam vt conciliatā & acqui-
 sitā, predicatione Euangelij solenniter in orbe diuulgari
 ac denunciari per Apostolos suos curaret, tum vobis gen-
 tilibus, qui procul aberatis à cōmunionē Ecclesiæ,
 tum his qui propē fuerāt, nimirū Iudeis, qui propter
 publicum ministerium inter ipsos cōseruatum pro po-
 pulo Dei reputabantur. Sic ergo Euangelij quoque cōm-
 unione vring, nos coniunxit, vt per hunc incompa-
 rabilem principem pacis IESVM CHRISTVM,
 tam gentiles, quàm Iudæi liberum habeamus adi-
 tum ad Deum Patrem, inuocandi illum in vno
 cōmuni Spiritu, quo nos Christus in vnum corpus Ec-
 clesiæ colligauit. Quæ cū ita sint, non iam estis am-
 plius extranei à cōmunionē Israël, vt olim. Imò ve-
 lior est conditio vestra, quàm olim proselytorum fuit,
 qui eatenus in cœu Ecclesiæ censebantur, quatenus
 Israëlítico populo in sacro cultu se aggregabant, inter
 Iudeos serē vt hospites agentes & aduena. Vos autem
 omnino in eodem dignitatis gradu estis positi, quo &
 Iudæi conuersi. Qui nullo peculiari gaudent privilegio,
 quo non vos aequē, & pari per omnia iure fruamini.

Estis iam conciuues sanctorum in cœlesti Hierosolyma, estis domestici Dei, inuromissi in domum Dei uiuentis, quæ est Ecclesia: donati estis ciuitate non terrena, sed superna, donati estis iure familia. Facti estis in præclaro edificio spirituali lapides uiui & pretiosi: superstructi super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, quod fundamentum est Iesus Christus, in quẽ & Propheta in suis uaticinijs, & Apostoli in Euangelij annunciatione concordibus suffragijs respiciunt, tanquam fundamentum vnicũ, præter quod poni aliud nullum potest. Qui non modo totum edificium sustinet, ut fundamentum, verum etiam ut electus lapis angularis, duos populos Iudeos & gentes ceu duos parietes complexus firmissimè connectit. In quo etiam quæcunq; structura (siue Ecclesia particularis tanquam magni illius edificiij pars) coagmentatur, & ipsius uirtute quasi compingitur: ea crescit in templũ sanctum in saluifica fide & religiosa pietate salutaria incrementa sumens, idq; in Christo Domino, in quo cum & vos Ephesii sitis per Dei fidem, coedificamini vnã cum cæteris Ecclesijs in habitaculũ Dei per Spiritum sanctum sic apparatus, ut Dominus ipse cœlesti gratia sua illud inhabitare gestiat.

LOCI COMMUNES.

Primus. De vniuerse nostra felicitatis autore & consummatore Christo Iesu. Nã cum per transgressionem essemus omni nostra felicitate pristina excussi: Christus sacrosancto merito suo nos in eã quasi postliminio collocauit:

cavit: disidium, quod vigeat inter Deum & homines (sublata diffensionis causa) è medio sustulit, expiata videlicet prauaricatione, obsignatu peccatis, & in hoc Dan. 9. rum locum reducta iustitia sempiterna. Hic per salutem illam ἀνακεφαλῶσιν, cuius primo capite minerat, instaurauit omnia: Deum nobis reddidit, & nos Deo, hominibus conciliauit angelos, angelis vicissim homines, Iudeos cum gentibus, gentes cum Iudeis in gratiam reduxit. Vnde merito illi solennia vota, & sacrificia laudis & gratiarum actionis soluimus. Merito perpetuis laudibus eum prosequimur, tanquam principem pacis nostræ, patrem vitæ æternæ, pastorem & episcopum Esa. 9. animarum nostrarum, ducem fidei, Noui Testamenti conciliatorem ac Pontificem magnum, autorem & consummatorem salutis, omniumq; sempiternæ beatitudinis α & ω, principium & finem.

Secundus. De vocatione gentium ad societatem sanctorum & communionem Euangelij. Quam olim ex Spiritu sancto prædixerunt Propheta, in primis Esaias 2. 9. 11. 42. 49. & 60. & complementum rei ipsis oculis nostris cominus aspiciamus. Quod beneficium tantoperè celebrat Paulus, & sine vlla dignitate gentium antegressa ex mera gratia & bonitate vocantis ortum, tum hic, tum alijs multis in locis asseuerat.

Tertius. Præstat etiam se Apostolus noster verbis enarratis interpretem promissi, quod à Christo Ecclesiæ factum legitur, Ioan. 10. Vbi Euangelista Saluatorem sic concionantem introducit: alias oves habeo, quæ non

P s sunt

sunt ex hoc ouili: illas quoque oportet me adducere, & vocem meam audient, & sit vnum ouile, & vnus pastor. Paulus ergo exquisitisimè nobis mentem Christi explanat dicens, alias illas oves, quæ non fuerint de ouili Ecclesiæ Dei, fuisse gentiles, olim à Republica Israël per-
egros & externos. Et hos adductos esse per annun-
tiationem Euangelij, quando vocem Christi per Apostolo-
rum concionem in orbe terrarum inclarescentem, au-
dientes detestari cœperunt auitam idololatriam, & ad

Esa. 11. radicem Isai, Iesum Christum ceu expansum vexillum
incredibili accursu sese aggregarunt. Vbi vnum factum est
ex Iudaïs & gentibus grex, vnum ouile, vnus populus,

Ezech. 34. vna Ecclesiæ, eiusque pastor vnus, qui est CHRISTVS.
Quæ verè apostolica explicatio refellit eorum commen-
tum, qui parabolicum sermonem Saluatoris de quadam
vniuersali concordia, quam ante consummationem se-
culi fore augurantur, exponant, contra expressa vati-
cinia Christi & apostolorum eius, qui pleno spiritu de-
nunciant, eiusmodi in religionis ac fidei negotio per-
turbationem in nouissimis temporibus, vt cum Filius ho-

Luc. 18. minis venerit, vix fidem vllam sit reperturus in terra,
nedum vt talis in doctrina omnium penè gentium con-
sensus ante iudicij diem sit expectandus.

Quartus. De abrogatione legis Mosaica in decre-
tis sita, hoc est, forensis, & in primis ceremonialis.
Nam quoniam hæc constabat futurorum bonorum um-
bratili delineatione (horum enim non εἰκόνα sed
ὡσαύτῃ habuit, Hebra. 10.) ideoque congruum erat, vt
appa-

apparente corpore umbra disparent, & oriente ipso iustitia sole, nebula illa ceremoniarum dissoluta euanescerent. Quam abrogationem ceremoniarum in veteri etiam Testamento predictam constat, Ierem. 3. & Daniel. 9. Eamque ex tricesimo primo capite Ieremiae validissimis rationibus astruit autor Epistola ad Hebraeos octauo. Ideoque velum templi rumpitur, quamprimum CHRISTVS per sanguinem suum in sancta sanctorum ingressus est. Quae ruptura veli, omnium ceremoniarum, in quibus situm erat sacerdotium Leviticum, abrogatio denunciabatur.

Quintus. De substantia Noui Testamenti, quae est CHRISTVS secundum carnem. Quod innuit Paulus, cum docet, Christum Iesum legem in decretis ceremoniarum Leviticarum sitam abrogasse PER CARNEM suam: velut ymbra per rem adumbratam. Sicut scriptum est: Nemo vos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut nouilunij, aut sabbatorum, quae sunt VMBRA rerum futurarum, CORPVS autem Christi. Habemus ergo Christum in Nouo Testamento, adeoque in omnibus eius sacris ratione carnis non adumbratum, non significatum, sed verè praesentem, praecipue posteaquam non modo natus, passus, mortuus & resuscitatus, sed etiam ad dextram virtutis & maiestatis Dei secundum carnem euectus est.

Sextus. De maiestate Christi secundum Naturam assumptam. Cuius admiranda gloria hinc effulget, quod Deo reconciliati gerimus IN CORPORE Christi:

Christi: Et vt ad Coloss. 1. id repetitur, in corpore carnis eius. Vbi notanter exprimitur humana eius Natura, & ex vnione cum eterno λόγῳ id opus ei assignatur, cuius moli vniversa mundi potentia succubisset, videlicet reconciliatio hominum cum Deo, quam inter finita potentia opera referre blasphemum est. Qua de re supra monuimus, cum de viuifica Christi carne contra Sacramentariorum corruptelas differeremus.

Septimus. De dignitate ministerij Ecclesiastici. Cuius haud vulgare documentum est, quod refert Paulus, venisse Christum & euangelizasse pacem etiam his, qui procul sunt, hoc est, gentibus. Cum autem Christus ratione praedicationis fuerit minister circumcisionis, Roman. 15. neque ipse in sua propria persona praedicaret gentibus, sed Apostoli hoc fecerint: non obscure colligitur, quid quantumq; de hac praedicatione Apostolorum sit sentiendum, videlicet, quod Christus per ipsos sit con-

Rom. 15. cionatus, sicut Paulus ait: Non ausim loqui quicquam eorum, quae non effecit Christus per me, in obedientiam gentium. Et 2. ad Cor. 5. Nomine Christi legatione fungimur, tanquam Deo vos obsecrante per nos, rogamus pro Christo, reconciliemini Deo. Ideo iam ante dixerat Apostolus: Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit, Luc. 10. Idem sentiendum de praedicatione eorum, qui apostolis in ministerio succedunt, quando illa iuxta normam diuini verbi instituitur.

Octauus. De necessitate quoq; praedicationis Evangelicae hic erudimur. Quanquam enim beneficium est omnibus

omnibus huius mundi bonis & thesauris prestantius, quod Christus in corpore suo nos Deo reconciliauit: tamen nisi hic thesaurus per predicationem Euangelij distribueretur: inutilis nobis maneret & ociosus. Quod minime dissimulat Paulus, Romanis scribens in hac verba: Quomodo inuocabunt eum, in quem non crediderunt? quomodo credent ei, de quo non audierunt, quomodo autem audient absque predicante? Quomodo autem predicabunt, nisi missi fuerint? sicut scriptum est: Quam speciosi pedes annunciantium pacem, annunciantium bona? Idcirco D. Apostolus vtrunque hic coniungere voluit, tum quod pacem impetrarit in cruce pro nobis patiundo, tum quod pacem hanc impetratam euangelizarit. Rom. 10.

Notus. Eadem verba docent nos, quomodo Euangelium proprie sic dictum sit definiendum, videlicet quod sit concio pacis & reconciliationis cum Deo. Ideoque, Euangelium proprie acceptum (quatenus à lege distinguitur) nec accusat, nec damnat peccata per se. Nam quod odor mortis ad mortem est impijs, id planè per accidens 2. Corin. 2. euenit. Per se autem SOLA lex arguit peccata, sicut exclusiuam expressè ponit Paulus, Rom. 7. Peccatum non cognoui, NISI per legem. Ergò non per Euangelium. Et quod in specie attinet incredulitatis peccatum, id quoque damnatur primo legis precepto, quod omnem incredulitatem erga quodcunque verbum aut promissionem Dei damnat. Cuius rei testem habemus Christum ipsum, qui incredulitatem Iudaeorum accusans ait: no. Ioan. 5. lite

hinc putare quòd EGO accusaturus sim vos apud Patrem.
 Est qui vos accusat, M O S E S : perspicuè significans,
 eum, qui in Christum nò credat, non damnari à Christo
 per Euangelium, sed à Mose damnari per legem, ita vt
 Lex sua sententia proscribat & damnet ad exitium eos,
 qui Euangelio non credunt. Est enim & lex organum
 Spiritus sancti, per quod arguit mundum de increduli-
 tatis peccato, etiamsi ex sola predicatione detur ad vi-
 rā. Alias si prædicatio legis & accusatio peccati à Spi-
 ritu sancti officio & virtute disiungeretur, sequeretur illū
 neque agnitionem peccatorum seu contritionem opera-
 ri per legem, quod simpliciter est falsum.

Decimus. De mediatore, cuius fiducia liber no-
 bis ad Deum pateat accessus. Hic verò est CHRIS-
 T V S. Per hunc quippe habemus aditum vtrique in
 vno spiritu ad patrem: & quidem cum $\pi\alpha\rho\rho\nu\sigma\iota\varsigma$, vt
 sequente capite Paulus noster annotat. Hoc est, quod 1.
 Timoth. 2. legitur: vnus est Deus, & vnus mediator
 Dei & hominum, homo Iesus Christus. In cuius nomi-
 ne fiduciaque factæ preces infallibiliter exaudiuntur,
 secundum sacrosanctam promissionem, Ioannis 16. A-
 men, amen, dico vobis, quicquid petieritis patrem in
 nomine meo, dabit vobis. Ergò nihil opus est nobis in-
 uocatione sanctorum, vt hi pro nobis interpellent. Ha-
 beamus nostrum Pontificem ad dextram Dei, qui perpe-
 tuò intercedit pro nobis, vt meriti semel acquisiti, &
 nunquā euanescente vigore precum & supplicationum,
 quas in diebus carnis suæ cum clamore valido semet ob-
 tulit,

Hebr. 7.

tulis,

ēulit, orans non pro apostolis tantū suis, sed & pro omnibus, qui per sermonem illorū crediderant, 1oa. 17.

Vndecimus. De precatione nostra, quomodo comparata esse debeat. Primò debet esse directā non ad Angelos, non ad sanctos defunctos, sed ad Deum. Deinde fiat, vt modo dictum est, fiducia mediatoris, adiutis nobis parantis. Tertiò fiat in spiritu, dicente apostolo: aditum habemus vtrique in vno spiritu. Spiritus sanctus enim est solertissimus magister & artifex concipiendarū precum, vnde & precum spiritus appellatur. Zach. 12. Quandoquidem hoc ipsum, quid oraturi simus, vt oportet, non nouimus: verū ipse spiritus sanctus intercedit Rom. 8. pro nobis gemitibus inenarrabilibus, hoc est, format preces nostras, & ad ardentem precandi affectum accendit corda. simulq; fiduciam indubitatam suggerit, vt audeamus clamare: Abba Pater. Tales preces sunt efficaces, Iacobi. Et tales vult adoratores Pater, qui aduertit in spiritu & veritate, Iōan. 4.

Duodecimus. Testimonium etiam hic extat articuli Trinitatis. Mentio namque fit Patris, ad quem fiat aditus: Filij, per quem iste aditus patefiat: Spiritus sancti, in quo hunc accessum, tum Iudæi, tum gentes habeant.

Decimustertius. Omnes populos esse coram Deo æquales, ita vt cunctis velit Dominus suam gratiam esse expositam. Nam sub regno Messie, posteaquam intergerinus paries est dirutus: nec Iudæus, nec Græcus est, sed omnes vnum sunt in CHRISTO IESU,

Gal. 3.

Gal. 3. Quod Petrus symbolo lintei cœlitus delati edoctus, coram centurione Cornelio disertè comprobat: Re ipsa inquiring, comperio, quod non sit personarum respectus apud Deum. Sed in quauius gente, qui timet ipsum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Ergo ne vllus populus aduersus alterum gloriatur, aut superbiat, Rom. 11.

Decimusquartus. De vnitate Christianorum, cuius hic admonentur, quia scribuntur conditi in VNVM nouum hominem: reconciliati Deo in VNO corpore: dicuntur habere accessum in VNO spiritu. Itaque propter hanc communionem bonorum vnanimes sint & concordēs, Philip. 2. Quandoquidem vnus sunt
 1. Corin. 11. panis, vnum corpus, quia de vno pane participant. Et
 & 12. per vnum spiritum nos omnes in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Græci, siue serui, siue liberi, & omnes vnum spiritum hausimus, 1. Corin. 12. Studeamus ergo seruare hanc vnitatem Spiritus per vinculum pacis. Vnum quippe corpus, vnus spiritus, quemadmodum & vocati sumus in vna spe vocationis nostræ, vnus Dominus, vnum Baptisma, vnus Deus & Pater omnium, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus nobis, Cuius vnitatis nos commones faciat, quod sumus vnus
 1. Corin. 12. corporis membra, vnius familie domestici. Sicut autem nullus pater familiâs fert dissidia inter suos domesticos: ita neque Deus inter suos.

Decimusquintus. De dignitate summa Christianorum, quod conciuēs sanctorum, & domestici Dei sunt facti: quoniam amici Domini nostri Iesu Christi, dicente ipsomet

ipſomet Saluatore: Non poſthac vos dico ſeruos, quia Ioann. 15.
ſeruus nefeit, quid faciat Dominus eius. Vos autem dico
amicos: quia omnia, quæ audiui à Patre meo, nota feci
vobis. Imò, quod maius eſt, fratres Chriſti ſumus facti.
Iuxta hanc memorabilem ſententiam, quam protulit
ad Mariam Magdalenam, vade, & dic fratribus meis: Ioan. 20.
Aſcendo ad Deum meum, & Deum veſtrum: ad patrem
meum, & patrem veſtrum. Vnde non dedignatur nos
Scriptura filios Dei nominare. Quemadmodum ſcri-
ptum eſt: Dedit poteſtatem filios Dei fieri hi, qui credi- Ioan. 1.
derunt in nomen eius. Quæ dignitas fidelium tanta eſt,
vt meritò in admirationem & ſtuporem ac propè in ec-
ſtaſin abripiat eos, qui diligenter illam expendunt.

Decimusſextus. Hac autem ſimul ad exhorta-
tionem ſunt referenda. Cum ſimus facti conciuſes ſan-
ctorum, cum per Euangelij communionem acceſſerimus
ad montem Sion, ad ciuitatem Dei viuentis, celeſtem Hebr. 12.
Hieruſolymam, ad innumerabilem Angelorum cœtum,
ad concionem primogenitorum, qui ſcripti ſunt in cœlis:
Ergo hac Dei ciuitate, qua donati ſumus, hoc venerando
domesticorum Dei conſortio nos dignos geramus. Ac-
ceſſentur enim huic tantùm fideles, excluſis impijs, A-
poc. 22. nec intramittitur in hanc ciuitatem incircum- Eſa. 52.
ciſus (corde) aut immundus, ſed populus iuſtus ſeruans Eſa. 26.
fidem, populus ſpontaneus in ſancto ornatus, genus ele- Pſal. 110.
ctum, regale ſacerdotium, gens ſancta. Et ὡς ἱεροί 1. Pet. 2.
domestici hic agnoſcuntur p̄ ſoli, tanquam lapides vi-
ui, & idonei ad offerendum ſpirituales hoſtias accepta-

biles Deo per Iesum Christum. Ad quam conuersationem sanctam incitamento quoque nobis sit templi augusta appellatio, quod in templum & habitaculum Dei edificari scribimur. An nescitis; inquit Paulus, quod templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? si quis templum Dei profanat, hunc perdet Deus: Nam templum Dei sanctum est, quod estis vos, 1. Cor. 3. Et repetitur id, 2. Corinth. 6.

Decimus septimus. Nascitur etiam ex verbis Apostoli doctrina de Ecclesia: quod sit domus Dei viuens, complectens in Nouo Testamento non solum Iudaos, sed fideles omnes, Iudaos pariter & gentes: superstructa super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, & coagmentata per angularem lapidem Iesum Christum, edificata in hunc finem, vt sit Dei habitaculum in spiritu. Sicut scriptum est: Inhabito in illis & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus, 2. Cor. 6.

Decimus octauus. De fundamento Ecclesia, de quo hodie inter nos & Pontificios controuertitur. Id vero nequaquam est Petrus, nisi ratione doctrinae: quo respectu & super caterorum Apostolorum fundamentum superstructi dicimur. Multo minus vero Papa, qui neque cum Petro, neque cum Prophetis & Apostolis quicquam habet commune. Sed id demum agnoscendum est fundamentum, quod à Prophetis & Apostolis pro fundamento Ecclesia agnitum animaduertimus. Hi solum Christum agnoscunt. Esa. 28. Ecce pono in fundamentis Zion lapidem probatum, angularem, preciosum, in fundamento fundatum, qui crediderit,

diderit, non fugiet. Et 1. Cor. 3. legimus: Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter hoc, quod posum est, quod est Iesus Christus. Valeant ergo Pontificj cum suo adulterino fundamento, Papa. Nos Prophetarū & Apostolorum fundamentū vnice agnoscentes Christum (qui fundamento ministeriali, de quo nugatur Sutarū maleferiat a societas, neutiquam indigeat, sufficiens quippe toti moli Ecclesia sustinēda) Papam pro Antichristo iure optimo habemus & proclamamus. Quem quicumq; pro fundamento Ecclesia receperant, eos verum fundamentū salutis abnegare, & electum à Deo lapidem angularem reprobare, adeoq; à Iesu Christo toros deficere certū est.

Decimus nonus. De inconcussa firmitate Ecclesia, que quia incumbit & innititur fundamento Iesu Christo, tuta est & manet aduersus omnes procellas minarū Satanae & mundi: vt hac domus nō euertatur, quia non super arenam, vt malignantium Ecclesia, sed super petram extracta est. Quemadmodum, Matih. 16. promittit Dominus: Tu es Petrus, & super hanc petram (quam tu Petre modò professus es, Filium Dei viui illam pronuncians) edificabo Ecclesiam meam: & portæ inferorum non preualebunt aduersus illam.

Vigesimus. Quod sit totius Scripturæ Propheticae & Apostolicae caput summum, videlicet Christus. In hūc respexerunt vnice, hūc prædicarunt fundamentū Ecclesia, caput anguli à Deo ordinatum, petram salutis, anchoram spei nostræ, aram & portum æternæ vitæ ac beatitudinis. In hūc ceu verum propitiatorium duo illi

*Cherubin Testamentorum noui, & veteris vnice res-
 Actor. 10. xerunt. Huic omnes Prophetæ perhibent testimonium,
 quod in ipsius nomine peccatorum remissionem accipiant.
 Psalmi. 50. qui credunt in eum. De hoc in ipso summo capite libri
 scriptum est. Hunc Moses præfiguratur: vaticinantur de
 illo Prophetæ: Hunc Ioannes digito suo monstrauit: Hunc
 per præconium Euangelij totus Apostolorum chorus per
 aterni Dei delegationem in omnes gentes manifestauit.
 Hunc ergo vñanimi testimonio sic declaratum Messiam
 Psalmi. 2. recipiamus, hunc colamus, osculemur, & seruiamus ei in
 timore & tremore, vt ipsi tanquam pretiosissimo angu-
 lari lapidi inserti, crescamus in templum sanctum Do-
 mino, neq; vnquam vt reprobi lapides abijciamur.*

CAPVT III.

ARGVMENTVM.

DVÆ sunt huius capitis partes. Priore ostendit causam vinculorum suorum. Quæ ob rem longè augustissimam sibi euenire confirmat, nempe ob annunciationem Euangelij inter gentes. Cuius maiestatem mysteriorum celsitudine maiorem in modum extollit. Posteriore infert suam ad Ephesios petitionem, quæ contendit, cum hæc sua captiuitas non villam aliam ob causam, quàm propter Euangelij prædicationem acciderit: ne eius apparente coram mundo